



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Petri Venerabilis Abbatis Cluniacensis; Illvstrivm
Miracvlorvm Libri II**

Petrus <Cluny, Abt>

Coloniæ, 1611

XIV. Qualiter in Episcopu[m] Albanensem assumptus sit, & quàm sanctè in
eo sese habuerit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64969)

tandem Deo propitio, ac per ipsius gratiam maximus ille religionis locus, à sui generis pessimo turbationis & schismatis morbo mira celeritate conualuit, atq; ad pristinum & fortassis ex parte meliorem religionis, famæ vel rerum statum peruenit. Digressus videor à proposito. Sed quia rem vt mihi videtur non reticendam, & pro futurorum cautela perutilem, à subsequentiū memoria perire timebam, occasione Domini Matthæi inuenta, cuius maximè præ ceteris studio, tantum malum sopitum est, dicenda silendo præterire timui. Redeat ergo stilus ad ipsum, & quæ de ipso restant, vt coeperat exequatur.

Quomodo in Episcopum Albanensem assumptus sit, & quàm sanctè in eo sese habuerit.

CAPVT XIV.

CAUSA iam dicta tractus ad urbem, ea sic diffinita, redire cum socijs ad propria festinabat. Sed qui nescientem vocauerat Deus, reditū impediuit, & quia super pauca fidelis fuerat, eum super multa, vt expertum dispensatorem promouit. Iniungit ei cū honore nominandus Papa Honorius, maio.

maioris honoris & oneris pastorem curam, & eum labori suo socium adhibens, in Episcopum Albanum consecrat. Proiectus ergo ad sublimem pontificalis ordinis gradum, & super ecclesie candela-brum, ad lucendum omnibus qui in domo Dei erant magnifice exaltatus, nihil de monacho quorundam more dimisit, sed sicut de magno Martino legitur, eadem in corde eius humilitas, eadem in vestitu eius vilitas mansit. Nihil de officijs, nihil de cantibus, nihil de proluxa Cluniacensi psalmodia, quarumlibet curarum pretextu reliquit. Seruabat in palatio instituta claustrum, & mundo expositus, firmo & longo usu, velut innato religionis proposito, a secularium vanitatibus se quasi septo firmissimo secernebat. Cohibebat se intra se, nunquam magis negociosus quam cum solus erat. Præferbat cunctis operibus suis omnibusque sanctis studijs, sacrificandi Deo illum suum quotidianum usum, a quo nec rei familiaris cura, nec multiplex occupatio, nec ipsa continua post summum Pontificem, omnium ecclesiarum sibi imposita sollicitudo, eum retrahere poterant. Conquerabatur inde sæpius Papa, & alij ad curiam mane ex more conuenientibus,

I

ipsum

ipsi ad horam tertiam vix occurrenti, quod plus nimio esset monachus, velut improperebat. Nec hoc tantum Romæ, sed etiam vbiq; terrarum studiosè seruabat. Vrebatur sæpè æstiuis diebus acriore Italici solis ardore, quod matutinas in his sacris studijs occupans horas, extrahi ab ecclesia circa sextam quandoq; horam vix poterat. Et quia non solum simplex religiosa innocentia, sed & prudens erat singulari sapientia, mittebatur sæpè à magistro, ad diuersas partes orbis terrarum, & vices Apostolicas in partē ab eo vocatus sollicitudinis prudenter administrabat. Nec iuxta modum gratiæ à Deo sibi collatæ, inferior in hac parte erat Dauid, de quo scriptura sacra loquitur, quod ad imperium regis ingrediens & egrediens, in toto illo regno fidelis extiterit, cum ille in illo Iudaico, hic in longè sublimiore christianæ reipublicæ regno, totas animi & corporis vires consumendo, fidelis fuerit.

Quod cum adhuc Prior esset, pecunias à Iudais mutuari prohibuit.

CAPVT XV.

ET quia fidelitatis vel fidei eius extollendæ causa de Iudaico regno